



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XV. Inter supplicia primarium, vnde peccati mortalis gravitas
cognoscitur, esse supplicium inferni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

*Inter supplicia primarium, unde peccati
mortalis grauitas cognoscitur, esse
supplicium inferni.*

CAP. XV.

Quamuis peccati mortalisi grauitatem valde manifestent poenae, quibus illud Deus in hac vita vlciscitur, ostendimus; eam tamen aeterna, quibus iustam de illo vindictam in Inferno mittit, tormenta multo manifestiores reddunt. Explicemus nunc summam haec tormenta, ut inde sensum aliquem quid peccatum mortale sit, haurire possimus. Ordinavit Deus poenas inferni ad punienda peccata mortalia, ut manifestaret potentiam, iustitiamque suam in ijs, qui ipsius bonitate, et misericordiam vli non fuissent. Sic testatur S. Paulus, dicens: *a Deo volens ostendere iram, seu punitiuam suam iustitiam, impios puniendo, & notam facere infinitam potentiam suam, subiciendo eos vi diuinæ suæ voluntati, faciendoque ipsos gloriae suæ subserui-*

a Ad Rom 9.22.

re, sustinuit, & expectavit in multâ patientiâ peccatores duros in peccatis suis, qui sunt *vasa ira* eius, & instrumenta, in quibus iustitia ipsius exercetur, ac manifestatur: qui non ex Dei voluntate, sed ex seipsis, suâque ipsorum malitiâ, & duritie, sunt *apti*, paratique *in interitum*, ac damnationem æternam. Et *ut* abundantissimas ostenderet diuitias infinitæ bonitatis, ac glorie sue in *vasa*, instrumentaque suæ misericordiae, quæ sunt iusti, & poenitentes homines, quibus communicat misericordias suas, & in quibus misericordia, bonitasque eius resplendet, idem Dominus eos per sua dona *paravit* in æternam suam gloriam possidendam. Hactenus S. Paulus. Cum ergo Deus tormenta inferni ad manifestandam suam potentiam, & iustitiam punitivam ordinet, sitque hæc præcipuum opus ordinarium, quod Deus facit ad hunc altissimum finem, ut in eo videri possit odium, quo peccatum profequitur; utque resplendeat infini-

H ta,

ta, quæ in ipso est, ad illud puniendum
iustitiam, ipseque glorificetur, tan-
quam iustus, quemadmodum glorifi-
catur, tanquam misericors; colligi-
tur hinc, quanta sint hæc tormenta
quamque verè immensa, & maiora
quàm dici, cogitarique possit; siqu-
dem esse debent clarissima infinitæ ius-
titia Dei testimonia, & splendores
mirabiles gloriae, quæ ei debetur, quæ
infinitè iustus est. Atque ita omnino
verum est, quod diuinus Rusbrochius
dixit, *a Si, quicquid de pœnis inferni
dici queat, ad ipsam rei veritatem com-
pareretur, minus esse, quàm unam guttam
ad vniuersum mare.* Describamus bre-
uiter paucis has pœnas, quò melius
hanc veritatem comprehendere, se-
tireque possimus. In illo miserabili
co ignis corporeus est, qui nunc
animas, & post iudicium etiam cor-
pora damnatorum vret. Hic ignis
cet eiusdem cum hoc igne elementa-
naturæ sit, tamen sine comparatione
vehementior, & ad torquendum est

a Rusbroch, epist. 10.

cacior est, cum non solum operetur virtute naturali, sed tanquam instrumentum infinitæ potentæ Dei, quæ illum operari, & torquere facit, quantum diuina eius iustitia requirit. Adeoque non indiget materiâ, quâ nutriatur; nec in æternum extingui poterit, quia Dominus, qui omnipotens, & æternus est, conseruat eum. *a* Hoc significauit Isaias, dicens, *flatum Domini*, quæ est infinita ipsius potentia, hunc ignem succendere. *b* Narrat S. Ioannes in Apocalypsi, vidisse se *thronum magnum candidum, & sedentem super eum Dominum* infinitæ maiestatis, qui *iudicauit de vniuersis hominibus, vt det singulis secundum opera ipsorum*: & eos, qui non inuenti sunt in *Libro vite scripti*, qui sunt mali, ac reprobî, *missos esse in stagnum ignis*, qui est infernus. *c* Cum ergo mali, vt diuina loquitur Scriptura, sint *quasi fœnum arca, & quasi palea*, incendendi quidem, vrendique, non

H 2 tamen

a Is. 30. 33. *b* Apoc. 20. 11. *c* Mich. 4. 12. *Matth. 3. 12.*

tamen consumendi, quia non morietur; cumque ignis ad vrendum, & cruciandum tam potens ac ferus sit, quod dolores, & quas poenas sentient illi miseri, qui in talem abyssum ignis demergentur, nec vnquam inde egressi poterunt? *a* *Quis*, inquit Dominus per Isaiam, *poterit habitare de vobis cum igne deuorante, & cum ardoribus sempiternis?* Quis hunc ignem non timet? qui sanæ mentis eum per poenitentiam, bonamque vitam non fugit, nitens promissione Christi, qui apud S. Ioannem dixit: *b* *Amen Amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in aeternum?* Est etiam in inferno tormentum frigoris: intolerabile enim frigus, instar frigidissimi fluuij niuis penetrabit animam, & corpus damnatorum, ijsque vehementissimos dolores faciet: & transeuntibus ab vno extremo ignis ad alterum frigoris, tormenta, ac dolores longè maiores erunt. Hoc tormentum diuina Scriptura si-

a *Is. 33. 14.* *b* *Ioannis 8. 51.*

gnificat, dicens ibi fore fletum, tremorem, stridorémque dentium, qui magni frigoris effectus est. *a* Et quanquam hæc verba magnitudinem, & augmentum infernalium pœnarum significare possunt, conuenientiùs tamen intelliguntur, quemadmodum multi Sancti ea intelligunt, de diuersitate pœnarum ignis, & frigoris, quæ in illo loco, varijs tormentorum generibus pleno, erit. *b* Præterea locus ille infernalis plenus erit tetris odoribus, exeuntibus ex loco ipso, & ex igne, ex frigore, & ex corporibus damnatorum. Atque hic pessimus odor, qui ibi inclusus est, cum exhalari nequeat, maximam illius infernalis carceris habitatoribus afflictionem, & cruciatum affert. Hanc pœnam diuina Scriptura significat, dicens, in inferno sulphur fore, quod cum igne teterrimum odorem efficit. *c* Ita S. Ioannes de impijs, ad infernum de-

H 3 stina-

a Matth. 8. 12. Luc. 13. 28. *b* D. Hieron. in Iob. c. 24. Bed. Matth. 8. Maldom. ibid. *c* Apoc. 21. 8.

stinatis loquens, *pars illorum*, inquit, *in stagno ardenti igne, & sulphure.* a
 alibi ait, vidisse se *viuos missos in stagno
 ignis ardentis sulphure.* Vocatur inter
 nus, *lacus*, aut *stagnum* (vt bene Au
 bertus declarat) quia in eo homines
 mali demersi sunt: & vocatur *ignis*
 quia vrit; & *sulphur*, quia continentur
 eos, quos vrit, malis odoribus implet.
 Alia, quæ illic toleratur, pœna est
 spectus Dæmonum, qui per peccatum
 adeò deformes, horribilesq; facti sunt
 vt præsentia, & conspectu suo intolera
 bilem afferant cruciatum. Sunt ite
 in illo tristi loco tormenta famis, & sitis:
 quia impij patientur rabiosissima
 quandam famem, & sitim ardentissimam;
 nec aliud eis in cibum, potum
 que propinabitur, quàm ignis; & sitis
 & fames, ac sitis eos semper cruciabitur
 durabitque illis in omnem æternitatem,
 quæ non habet finem. Sunt que in profundo
 illo carcere corporum, ac densissimæ tenebræ,
 quæ illas fune

a *Aubert, Apoc. 19. 20.*

funestarum habitationum tristitiam,
& horrorem augent: atque hoc Scri-
ptura vocat *caliginem, & tenebras exte-*
riores. *a* In medijs hisce tenebris re-
sonabunt dolorosi clamores, despera-
ti gemitus, & maledictiones, & blas-
phemia, quas contra seipfos, contra
vniuersas creaturas, & contra ipsum
Deum damnati emittent. Et quamuis
tenebræ sufficientem habeant obscuri-
tatem ad auferendum lucis solatium,
& ad pœnam illius loci augendam, ta-
men erit in eâ quædã claritas pro ani-
mæ & corporis oculis, quâ videant
horribiles illorum infernaliũ monstro-
rum (Dæmonum) figuras, & ipsorum
damnatorum corpora, omnesque cæ-
teras res, quæ aspectu tormentum eis
augere possunt. *b* Ita sanctus Grego-
rius, *gehenna flamma*, inquit, *repro-*
bis & nequaquam lucet ad consolationis
gratiam, & tamen lucet ad pœnam. Alia
grauissima, quæ his accedit, pœna

H 4 est

a *Iob. 10. 21. Matth. 8. 12. D. Iud. in epist.*
n. 6. b *D. Greg. L. o. mor. c. 49.*

est *vermis conscientia*, qui eorum vicia
 ra rodit: cum enim recordantur ter-
 poris, & commoditatum, quas habu-
 runt, saluandi se, nec ijs vfi sunt, tam-
 etsi non pœnitet ipsos peccati, quod
 Dei offensa est, tamen pœnitet eos in
 li, quod fecerunt, & admissæ negligē-
 tiæ, quapropter damnati sunt. Hoc
 inutilis pœnitentia, atque hoc rabi-
 sum opprobrium, vermis est, qui illis
 æternum cruciabit; de quo Isaias di-
 cit: *Vermis eorum non morietur*, a
 pœnæ sunt, ac tormenta, quibus Deus
 peccatum mortale in inferno puniet.
 Et si modò pœnæ istæ finem haberent,
 aut aliquas inducias, & interuallum
 ita vt aliquamdiu cessarent, vel mi-
 nuerētur, etiamsi postea redirent, tan-
 tum terrorem, timoremque non inco-
 terent: at quòd tantæ, & insuper etiam
 continuæ sint, quòdque in eodem sem-
 per rigore, & feritate, sine vllò leua-
 mento, & imminutione perseuerent, &
 quòd æternum durent, ita vt post tot
 mil.

a Is. 66. 23.

millia annorum, quot sunt guttulæ aquæ in mari, & atomi in aëre, de nouo incepturæ, nec vnquam desituræ sint, hoc est, quod summè terret, & quod, si benè consideretur, incredibilem timorem iniicit; quia etiam commoditates, delitiæ voluptatesque huius vitæ, vt comedere, bibere, ludere, vanas comedias spectare, in sellis ad quietem factis sedere, & in mollibus lectis iacere, si diu durarent, aut sine cessatione continuarentur, grauissimum tormentum crearent, nec esset, qui eas ferre posset: quantò ergo magis pœnæ ipsæ, & tantæ pœnæ, quantæ sunt infernales, si continuentur, nec vel vnicum momentum cessent; nec per longum tempus, sed æternùm durent, grauissimæ erunt, & intolerabiles supra omne, quod cogitari potest? Et idcirco diuina Scriptura toties meminit æternæ durationis pœnarum inferni, tanquam rei, quæ illas magis aggruat, easdem terribiliores, ac formidabiliores reddit, quæque nos ad timendas

H s ipsas,

ipfas, & per pœnitentiam noſtrorum peccatorum, vitæque emendationem fugiendas mouere debet. *a* *lbunt* (inquit Chriſtus de ſententiâ contra malos ferendâ loquens) *in ignem, & ſupplicium æternum.* *b* Et S. Paulus dicit, qui non obediunt Euangelio, *ai* pœnas peccati ſui *dabunt æternas.* Et Angelus, quem vidit S. Ioannes, affirmat de omnibus ijs, qui Diabolum ſecuti ſunt, eiq; peccando obediêrunt, ipſo miſſum iri in ignem, & *fumum tormentorum* quæ patientur, *aſcenſurum in ſecula ſeculorum*: *c* nam ſicuti æternus eſt ignis, ſic fumus ex eo exiens æternus erit.

a *Matth. 25. 46.* *b* *2. Theſſ. 1. 9.*

c *Apoc. 14. 11.*

Quomodo ex his pœnis, peccati mortalitatis grauitatem colligere debeamus.

CAP. XVI.

EX his tantis, tamque horrendis inferni pœnis, & ex hac æternâ illius duratione clarè immenſa peccati mortalitatis